

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Penitencia r²
cum fonte primo

Cum mentem Deus ingreditur, constat proculdubio quod mox penitencie gemitus sequatur ut ei iam salubriter flere libeat que prius iniquitatibus flenda iocunditate gaudebat. Sed quo uberius culpa fletur, eo altius agnitio ueritatis attingitur quia ad uidendum lumen interne bonitatis polluta dudum consciencia lacrimis baptizata renouatur.

Gregorius libro XXVII. moralium.

Bene ergo dicitur:

Post eum rugiet sonitus, quia cum mentem Deus ingreditur, constat proculdubio quod mox paenitentiae gemitus sequatur, ut ei iam salubriter flere libeat, quae prius de iniquitatibus flenda iocunditate gaudebat. Sed quo uberius culpa fletur, eo altius cognitio ueritatis attingitur, quia ad uidendum internum lumen polluta dudum conscientia lacrimis baptizata renouatur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 27, 19 (CCSL 143B, M. Adriaen ed., p.1360, ll.9-16).